



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

14 Feb. 16 Kal. Martii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

tua Francisca tribus coronis gloriosam
aspexit; & S. Mariam Magdalenam
laudes tuas canentem, audiuit. Doce
me flere peccata mea, lacrymis è cor-
de, amoris flammâ liquefacto, fluen-
tibus. ita docebis me canere laudes
tuas!

14 Feb. 16 Kal. Martii.

S. Auxenti, à columbâ paste, qui
 pro Divinitate, & MARIÆ Dei-
 paræ Virginitate, per prodigia,
 contra improbos decertâsti: qui
 scaturientes, è tabescente doloribus
 pleno corpore tuo, vermes adeò
 habuisti pretiosos, ut vermem, si
 quis excidisset, reponeres, longif-
 simæ patientiæ, ac mortis exemplar
 sanctum. Doce me, ut pretiosos
 faciam dolores meos, vitam meam
 omnem, mortem meam, æterni-
 tatem meam. Habeat coram Deo
 pretium omnis actio mea, vita mea,
 mors mea; sciam pati, sciam vi-
 vere, sciam mori. Amen.

S. Valentine Ep. qui, cùm pro
 Christo ad ossa usque ac nervos ca-
 dereris, lætus dicebas: *Gratias tibi*
ago, Domine JESU Christe, qui me inter
seruos tuos numerare dignatus es! qui,
unâ cum socio tuo S. Damiano, in
 carcere

carcere pfallens, Angelum vidisti,
 coronas aeternas vobis narrantem,
 & catenas vestras in pulveres redi-
 gentem. A quo suscitatus à mortuis
 Demetrii Proconsulis filius, dixit:
Verus Deus Christus, quem predicat
famulus ejus Valentinus: ac Pro-
 consulem, cum quadringentis è fa-
 miliâ, & bis mille aliis, baptizâsti;
 unâ cum S. Damiano, à sacrificulis
 capite postea plexus Martyr. ad
 quorum corpora mortuus alius re-
 surrexit; & dæmon pulsus, tem-
 plum teterrimo fœtore implevit:
 sed cum *Te Deum laudamus* canta-
 retur, è vestro tumultu erumpens
 caelestis fragrantia, fœtore illo
 superato, omnes mirificè recrea-
 vit.

S. Modestine Ep. qui dirè ac va-
 riè cruciatus, vinculis ab Angelo
 bis exemptus, energumenos curâ-
 sti, mortuum excitâsti, statuam de-
 jecisti, è quâ draco profiliens, plures
 interfecit: qui à candente tunicâ
 arêâ, & ab ollâ fervente nil læsus,
 obiisti M.

S. Antonine Abba, cui S. Mi-
 chaël Archangelus apparuit: quî
 totam Christi passi tragœdiam tuis
 manibus, in templo, in marmore
 sculpisti; & morte, jam antè præ-
 visâ,

visâ, diem clausisti ; pòst etiam, e-
nergumenis liberatis, & miraculis
clarus.

S. Guilielme, alter Antoni, con-
tra dæmones, tibi horrendè specta-
biles, victor, à Christo, ejúsque
Matre, ac Angelis, persæpè visitate,
atque firmate.

Sancti Vitalis, Felicula, & Ze-
no, MM.

S. Valentine Ep. diù cæse, capite
plexe.

Sancti Procule, Ephebe, & A-
polloni, Martyres.

Sancti Basse, Antoni, & Proto-
lice, in mare demersi.

Sancti MM. Cyrion, Bassiane,
Agatho, & Moyfes, combusti.

Sancti Dionysi, & Ammoni, de-
collati.

S. Eleuchadi Ep.

S. Stephane, qui, grandi efficaci-
tate, multos, è profundâ peccati
abyssò, licèt diù inuitos, ad frugem,
adeóque ad Christi vestigia, per-
duxisti : è quo cælestis quædam o-
dorum fragrantia, in eos, qui tecum
consuetudine sanctâ versabantur,
fundebatur : qui rogatus à tuis,
post mortem miracula facere de-
sisti ; ne quies & disciplina cœ-
nobii, à populo, aut affluentia
mune-

munerum, laxaretur.

B. Christina, inter orandum visa splendidissimis radiis collucere : quam in morte invisens Deipara, ad Christi sponsi thalamum, ad gloriam invitavit.

OMNES SANCTI, &c.

pag. 44.

S. MARIA, *qua morienti hodie tua Catharinæ V. Spoletina adfuisti. Fac me dignum, quem morientem juves; ne peream!*

S. MARIA, *quam pro quodam orans S. Stephanus hodiernus, effecit, ut qui captus fuerat, solveretur; ii autem, qui eum ligaverunt, ligati, ad portam cœnobii, divinitus sisterentur. Solve vincula reis, internis, & externis, sensibus meis!*

15 Feb. 15 Kal. Martii.

S. Ancti Faustine, & Jovita, fratres, acerbissimis tormentis gloriosi, à bestiis, & flammis immunes, è mari per Angelos erepti, securi percussi. Vobis, in carcere, sacratissimam Eucharistiam ministrantibus, Angeli ministravêre. Orate, ut ego, & vos, & Angelos, habeam adju- tores, & sanctissimo viatico sanctè munitus, ex hoc carcere non eam

L 7 ad